7(15

ZU DER

ÖFFENTLICHEN PRÜFUNG

SÆMMTLICHER KLASSEN

DES

DOMGYMNASIUMS ZU NAUMBURG

VOM 29. MÆRZ BIS ZUM 1. APRIL 1852

LADET ERGEBENST EIN

DR. FÖRTSCH,

GYMN. DIR.

INHALT:

Naumburg,

Gedruckt bei Heinrich Sieling.

1852.

Abhinc compluribus annis quum de discrepantiis, quae inter aureae et argenteae aetatis scriptores intercederent, exponere animo constituissem, id consilium ne exsequerer, ea potissimum re prohibitus sum, quod unius hominis vitam ac vires, praesertim praeceptoris munere districti ad opus tantae amplitudinis conficiendum non sufficere intellexi. Nuperrime tamen quum Histor. Lit. Roman. a Bernhardyo conscriptae alteram editionem perlegerem eumque locum, quo illam litterarum latinarum partem nondum satis a viris doctis illustratam conqueritur, cum iis, quae priore editione fere eadem pronuntiaverat, compararem, denuo tanta mihi iniecta est cupiditas ad studia diu intermissa revertendi, ut, quum iisdem, quibus antea, temporis angustiis obstrictus tenerer, aliam tamen viam ingredi statuerem. Priusquam autem quam nunc aptissimam ejus operis conficiendi rationem existimem indicabo, ea, quae Bernhardy p. 278. exposuit, dissertationi meae praemittere libet: „Vielmehr liegt die Stärke mit Schwäche gemischt im *Sprachschatz* und in der *Syntax*. Für letztere, so reich an Treffendem, an Idiotismen und Uncorrectheiten sie ist, fehlt noch immer eine zusammenhängende Darstellung. Eine Sammlung lexikalischer und anderer sprachl. Eigenthümlichkeiten gab nur Funccius de imminenti L. L. senectute. In Ermangelung eines solchen Ueberblicks pflegt man einzelnen, wie Tacitus, anzurechnen, was der ganzen Zeit angehört. Zur Beurtheilung des Sprachschatzes bedarf man aber vieler Speciallexika, vor allen in der Anlage von Bonnell's Lex. Quint., mindestens wie wir Glossare zu Scribonius Largus, Celsus, Tacitus besitzen; Proben für ein umfassendes zum jüngern Plin. gab Wensch in 2 Wittenberger Prog. 1837-39. Es wird hier nicht blos auf das, was jene Autoren haben und gebrauchen, zu achten sein, sondern auch auf das, was sie nicht haben. Denn mit den Begriffen sind ihnen ganze Wortschichten und Phrasen abhanden gekommen, insbesondere Partikeln, deren Zahl immer kleiner wird. S. Zumpt in Berlin. Jahrbüch. 1837 Nr. 74."

Et vero, si libros illos, quorum Bernh. mentionem fecit, paucosque alios exceperis, viri docti in his rebus ita nihil elaborarunt, ut, quomodo scriptores argenteae aetatis dicendi

genus mutaverint quibusque rebus ipsi inter se differant, prorsus fere ignoremus. Ei rei qua ratione occurri possit, multum mecum reputanti mihi jam ille labor, cui sustinendo vires unius haudquaquam pares sint, inter plures ita distribuendus videtur, ut ex iis, qui a Tiberio usque ad Hadriani aetatem viguerunt, scriptoribus nousquisque aliquem eligat, cujus libros tam accurate ac diligenter perscrutetur et investiget, quam Bonnellius Quintilianum in eo libro, quem Lexicon Quintilianeum inscriptum anno 1834 edidit aut Boetticherus Tacitum (Lex. Taciteum sive de stilo L. Cornelii Taciti Berol. 1830) aut Wenschius Plinium minorem in duabus commentationibus Lib. Schol. Gymn. Witteub. 1837 et 1839 praemissis. Cujus doctissimi viri mentione injecta facere non possum, quin admodum dolere me confitear, quod illud summa diligentia inceptum opus tam mature abruperit neque Lexicon Plinianum in publicum emiserit. Verum, ut ad propositum revertar, quid aut omnium illius aetatis scriptorum aut plurium aut denique singulorum proprium sit, discernere non licebit, nisi omnes libri ea, qua dixi, ratione perlecti eorumque qui in his rebus studium collocaverint, opera uno libro comprehensa erunt. Quam ob rem ego hac commentatione conscribenda nihil aliud ago quam ut viros doctos ad derelictam illam latinarum litterarum partem illustrandam incitem iisque qui suum laborem mecum conjungere velint, quae talis operis vis et natura mihi esse videatur, paucis demonstrem. Atque id duas in partes dividendum arbitror, quarum priore omnia ea vocabula et loquendi formulae contineantur necesse est, quae apud priores aut omnino non inveniantur aut non ea vi ac significatione, qua in posteriorum scriptis praedita sunt, altera autem parte de iis, quae in grammatica et verborum componendorum ratione posteriores novarunt, exponendum erit. Priores autem Ciceronem ejusque aequales intellectos velim, si quidem Livius mea quidem sententia quasi quendam medium inter aureae et argenteae aetatis scriptores locum tenet. Quam sententiam exemplis et rationibus probare quum mei instituti non sit clariusque perspectum iri censeam, si quis de illius loquendi genere separatim disputare animum induxerit (quod utinam mox fiat), jam quae de duabus illis partibus admonenda mihi videantur, statim subjungam Eorum igitur vocabulorum, quae a prioribus usurpata non sunt aut diversa significatione apud posteriores reperiuntur, tria fere genera esse judico. Ac primum quaedam voces sunt, quas ab antiquissimis poetis et solutae orationis scriptoribus aut fictas aut e quotidiano sermone petitas quum eruditi aureae aetatis scriptores in libros suos non admisissent, posteriores in usum suum converterunt. Quarum quoniam non ita magnus numerus exstat, protinus ad alteram eorum vocabulorum et locutionum genus transire libet, quae posteriores ab iis qui Augusti aetate carmina condiderunt, inprimis a Virgilio, Horatio, Ovidio repetiverunt. Quorum cognitio quum ad recte de illius aetatis latinitate judicandum plurimum momenti habeat, paulo accuratius in eorum investigatione

nos versari necesse est. Ut autem studii a me illis litteris navati fructus, quantuluscunque est, in eos, qui mecum ad illud opus accingi volent, redundare possit, ita agam, ut quae in selectis quibusdam partibus ejusmodi vocabula exstent, omnia eruam atque in uno quodam quasi conspectu collocem.

Quae igitur in decem primis Senecae ad Lucilium epistulis inveniuntur locutiones et vocabula, e poetarum libris desumta, haec fere sunt: reparabilis, inautrire, instabilis, interius premere omne secretum (cfr. Virg. Aen. I, 213: premit altum corde dolorem), gaudium scatire, ferrum in viscera adigere, vitam relinquere (Virg. Georg. III, 547.) indurare (Ovid. Plin. maj.) — navigia sorbentur, inquietus (quo tamen vocabulo etiam Livius interdum utitur), superbis assidere liminibus (assidere c. dat. et c. acc. pro verbo obsidendi non raro apud Virgilium, Silium, Tacitum exstat; superba limina cum diceret Seneca, ei, ni fallor, ante oculos versabatur Horatianum illud: Forumque vitat et superba civium potentiorum limina). Porro in eodem numero habenda „intonsus, argento odium indicere, excerpere = eximere, desidere, tenax recti, oculi cadentes, lassus, pavidus, fumem sedare, cothurnatus, catena crepat, illaesus; boni consulere = bonum judicare (cfr. Quintil. I, 6, 32. VI, Prooem. 16) verba proiicere (Horat. A. P. 97). His adde ex Ep. 14 transmittere aliquem = (silentio praeterire), alimenta ignium, pelagus exasperare, p. in vertices cogere, humanus sanguis (i. e. hominis caedes), ex Ep. 44. rigare, inconcussus, alternatus, alia plura.

Multo etiam majorem talium vocabulorum et locutionum numerum e Plinii majoris Historia Natur. eruere licet. Namque intra brevissimum quinque secundi libri capitum spatium haec e poetis Augusteae aetatis petita inveniuntur: incubare, irrequietus, rotatus, vertigo, deciduus, monstrificus, librare, incessus stellarum, nubila animi, serenare, lumen foenerare, tutus animae, grandaevus, aliger, proceres, res fessae (fessa a Cicerone ejusque aequalibus non nisi animantia vocantur; argenteae autem aetatis scriptores Virgilium (Aen. 3, 145: quem fessis finem rebus ferat) imitati etiam res fessas dixerunt, cfr. Tacit. I, 1. „atque Antonii arma in Augustum cessere, qui cuncta discordiis civilibus f e s s a nomine principis sub imperium accepit"); sedere = placere (e more Virgilii, qui ipse quoque sic loquitur, cfr. Aen. II, 660: si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui Et sedet hoc animo). His addere libet haec e diversis ejusdem libris locis desumta: contiguus, multivagus, vastitas, meatus, repertor, siderum labores, immobilis, austrinus, qualiter, ex lib. 33. repetita haec: dehiscere, proscissus, gestamen, mere, implexus, juvenalis, scintillare, mica, pervigil, asperue, siccare, scoria, fervescere, inaccessus. Haec vocum poeticarum recensio, ut arbitror, ad eam, quam supra de Plinii majoris dictione protulimus, sententiam probandam sufficiet.

Taciti vero in scriptis quae exstant voces a poetis Augusteae aetatis petitas quum Boetticherus in Prolegomenis Lexico Taciteo praemissis enumeraverit, hoc loco de iis exponere opus esse non videtur. Quid? quod ne illi quidem, qui labentem sermonem latinum in rectam viam omni virium contentione revocare studuerint, Quintilianus, Plinius minor, Auctor Dialogi de Oratoribus, quisquis fuit, non ab ejusmodi locutionibus abstinuerunt. Quam in rem exempli gratia ex eo, quem modo commemoravi, libro has poeticas locutiones excerpsi: vates = poeta, sanguinans eloquentia, benefacta canere, juvenes in ipsa studiorum incude positi, auro radiari, livere = invidere, exuberare, pectus = animus, ineptiis suis plaudere, proceres. Nec minus multae ejusmodi locutiones apud Quintilianum et Plinium minorem inveniuntur.

Jam vero ad tertium genus transeamus, quod ex vocabulis et loquendi formulis argentea demum aetate inventis constat. Ea autem mihi videntur esse dividenda et in ea, quae unius scriptoris propria sunt et in ea, quibus plures vel omnes utuntur. Quae quidem res quia non prius dijudicari poterit, quam omnes illius aetatis scriptores eo, quo diximus consilio perlecti sint, equidem utriusque generis exempla promiscua exhibebo. Ejus generis vocabula apud Senecam haec exstant: 1) Substantiva: Arietatio, coërcitio, destillatio, finitio, fulguratio, fulminatio, hallucinatio, murmuratio, offensatio, orbatio, pisatio (s. pinsatio), praestatio, scrutatio, sparsio, vectatio — conquestio, comperendinatio, circumlitio, ejuratio, evaporatio, intentatio, propinatio — aeneator, arietator (deus), caelator, imputator, infector, luctator, mirator, nauseator, notor, signator, tractator, vocator, vomitor — collusor, conviciator, delator, interemtor (sui) — linguarium, breviarium, specularium, latifundium, territorium — botularius, cinerarius, crustularius, pararius, pausarius, primipilarius, effractarius — duramentum, honestamentum, dehonestamentum, initiamenta, piamentum (Ovid. piamen), spissamentum, sternutamentum. — (puerilitas,) rusticitas, vernilitas — differentia, displicentia. — 2) Adjectiva: Blattarius (-a balnea), beneficiarius (-a res), elementarius (senex,) gradarius (orator), imaginarius, latruncularius (-a tabula), marmorarius (faber), quaestuarius, refractarius, temporarius (-ae amicitiae), valetudinarius — lapsabundus, nauseabundus, reptabundus — cicatricosus, (clamosus), gulosus (-i oculi), importuosus (-um mare), stercorosus, stomachosus, superciliosus (censor), tenebricosus — coloratus, laureatus, soccatus, exsurdatus, imperturbatus, indepravatus, superadornatus — inevitabilis, invulnerabilis, comprehensibilis, (Nat. Q. 5, 24), incomprehensibilis (Cons. ad Helv. cp. 10), inagitabilis, indefagitabilis, inemendabilis, insecabilis, inseparabilis, irremediabilis — corporalis (ep. 59), incorporalis (ep. 59), rationalis (ep. 14). — 3) Deminutiva: Balneolum (ep. 86), lamellae (= nummi), civitatulae (Apocol. Claud.), deliciolum (Cic. deliciolae), disputatiuncula, procuratiuncula, punctiunculae, sacculus, tirun-

culus — nummalariolus (consul. Apocol. Claud.), crispulus. — 4) **Verba**: Augustare, cerculare, columbare (labris), cuneare, hospitari, lapidescere, nepotari, rabere, radicescere, — conlatrare, consalutare, converberare, convulnerare, corretundare (s. — ri), discingere, effocare, effricare, emunire, exarmare, excalceari, interpungere (Cic. interpunctus), investire (ep. 114), proritare (= irritare), subirasci, obrigescere (Cic. obrigere), obstrigillare, recorrigere, replumbare (i. e. in metallis secernere ab argento plumbum Nat. Quaest. 4, 2), retrovivere, revilescere, — **adexpetere** (ep. 117), **subinfluere** (Nat. Quaest. 4, 2). — Largissimam banc talium vocum copiam Dr. Boehmero V. D. acceptam refero, quem in perscrutando Senecae loquendi genere acerrimum studium collocasse commentatio de L. A. Senecae latinitate conscripta declarat, (Lib. schol. Oels. 1840). Quo magis miror eum ad inusitatas illas locutiones duabus pluribusve vocibus compositas non attendisse, quas quum innumerabiles Seneca scriptis suis insereret, a priore loquendi sanitate ac simplicitate quam maxime recessisse putandus est.

In eo numero referendas has loquendi formulas puto, quas ex primis decem epistolis excerpsi: se sibi vindicare, pretium tempori ponere, cibus corpori accedit, vulnus ad cicatricem venit, verba coram amico retrahere, cervicem praebere et praestare alicui, gladium jugulo admovere, contumeliosam humanitatem pati, argento odium indicere, cogitationes in longinqua praemittere, animum in melius transferre, in societatem trahere, mores efferre et referre, manum mittere, agere aliquem in vulnera, rubiginem affricare alicui, in se ipsum recedere, in debitum solvere, in animum condere aliquid, in ambiguitatem incidere, ad vadimonium descendere, in solutum imputare, florentes amicorum turba circumsedet, se morti alicuius opponere et impendere, sibi acquiescere, cogitationibus suis traditum esse, turpiter dives (de tali adverbiorum et adjectivorum compositione disserait Naegelsb. L. Stil. p. 161), non habeo cum quo te communicatum velim, audeo te tibi credere, hae voces habent fundamentum, ad salutem spectare. Ad has locutiones, quibus omnes Senecae libri refertae sunt, doctus ille vir si diligenter attendisset, non dubito quin aliter de ejus dicendi genere judicaturus fuerit. Nam quod Quinctilianus, quem ille iniquius de Seneca judicasse censet, ejus dictionem ita non probavit, ut corruptissimam omnium diceret, ea maxime causa videtur fuisse, quod simplicem et sinceram sermonis latini rationem istiusmodi locutionibus plane eversam et extinctam putavit. Verum ut eo, unde deflexit, oratio revertatur, praeter plurima illa a Boehmero collecta verba, quae Seneca aut solus aut cum uno alterove ejusdem aetatis scriptore usurpavit, aliquot vocabula ei cum plerisque aequalium communia sunt. Cuius generis, ut institutum ordinem persequamur, in decem illis epistolis haec fere sunt: **imputare** (quo verbo quum plerique omnes arg. aet. scriptores utantur, loci, quibus exstat, accurate investigandi et perpen-

dendi sunt), *inquietare* (et ipsum illa aetate frequentissimum) *immorari* (cfr. Quintil. II, 16 ne terrenis immorer Plin. Ep. I, 8 immorari honestis cogitationibus) *pertransire* (Plin. major. 37, 5), *transfigurare* (cfr. Ep. 94 Suet. Ner. 28. Quint. VI, 2. Plin. maj. IX, 31. XVII, 24, alias) *frivolus* (quod vocab. quanquam apud Auct. ad Herenn. invenitur, tamen tum demum usu receptum est), *fiduciam habere* (cfr. Ep. 16. Quint. 2, 15. Plin. Epist. 10, 82), *conversatio* (de qua voce Spalding. ad Quint. VI, 3, 17: [et sumtam ex conversatione doctorum tacitam eruditionem] haec annotat: „Vocabulum hoc L. Senecae in primis frequentatum jam Trogo adhibitum docet summus Ruhnken. ad Vellej. II, 102, 5. Cfr. nostr. I, 2, 4. Declamm. III, 17, 14. Dialog. de Orat. c. 9. Senec. Epist. 108 [non solum studentes, sed etiam conversantes], ubi conversatio, ut hic a nostro, significatur quotidiana, a certo discendi consilio aliena. Appul. Met. 5. p. 89, 91“) *in antecessum*, *amatorium* (intellige poculum. Plin. maj. 13, 25. Quintil. VII, 3, 10. VII, 8, 2. V. 5, 31). His nonnulla addere libet e diversis Senecae aliorumve ejusdem aetatis scriptorum libris desumta: *abolitio* (verbum *abolendi* quia ne ipsum quidem apud Ciceronem invenitur, saepissime autem apud arg. aet. scriptores, accurate de eo quoque explicandum erit), *affectatio*, *audenter* (cfr. Spald. ad Quintil. VIII, 3, 27. [multa alia etiam audentius inseri possunt.]: „Adverbium audenter satis frequens Tacito et ejusdem originis nomina audentior, audentia usurpata nostro, Tacito, Plinio minori“), *ex abundanti* (Quint. IV, 5, 15 „tum addit ex abundanti“ et V, 6, 2 „adjicit ex abund.“), *adjice quod* (cfr. Haas. ad Reisig. L. Sp. p. 599, qui ibidem etiam de formula *adde quod* disputans eam a poetis inventam neque a Cicerone usquam positam esse docet), *breviare*, *breviarium* (Senec. Plin. maj. Sueton) *convictus* (vocabulum pro conviviis usurpatum a Vellej. Senec. Plin. Tacit. Quintil.) *demereri* sive *demerere* (quod verbum ab antiquissimis scriptoribus jam usurpatum quum aureae aetatis scriptores non receperint, contra apud arg. aet. scriptores plurimis locis reperitur = merito vel beneficio sibi aliquem constringere, cfr. Quint. I, Procem. „amantissimos sui pleniore obsequio demereri.“ Sen. de Bef. I, 3. „elephantorum feritatem usque in servile obsequium demeretur cibus.“ II, 25. „Nullo magis Caesarem Augustum demeruit — Furnius.“) *dedignatio* (substantivum a verbo dedignandi declinatum, quo poetae Aug. aet. latinum sermonem locupletaverunt) *dehonestare*, *diversitas*, *extemporalis* (cfr. Dial. or. 5) *delator*, *enormis* et *enormitas*, *favorabilis* (Spald. ad Quint. IV, 1, 21. „Favor. saepe ap. nostrum aliosque sub Caesaribus dicitur idem fere qui gratiosus ap. priores. Sed eam significationem vocabuli usurpavit jam Vellejus, primus, ni fallor, 2, 34, 46, cfr. Dial. d. Or. 7, Quint. X, 5, 21.“) *generaliter* = generatim, universe (quod quanquam ap. Cic. de Invent. I, 39, §. 26 reperitur, tamen nec ab ipso nec ab ejus aequalibus

usu receptum, a scriptoribus arg. aet. maxime frequentatum est. Cfr. Quintil. I, 5, 2: Verba nunc generaliter accipi volo: nam duplex eorum intellectus est. III, 7, 7: Verum in deis generaliter primum majestatem ipsius eorum naturae venerabimur; deinde *proprie* [Jurisconsulti pro eo „specialiter“ dicunt] vim cujusque et inventa, quae utile aliquid hominibus attulerunt), *indurescere* (cfr. Quintil. 3, 12. Frangas enim citius quam corrigas quae in pravum induruerunt) *imaginari* (Plin. Ep. I, 14. Nam quam imaginor vos, quibus quaerimus generum, silendum de facultatibus puto. Quint. Inst. Or. IX, 2, 41: Nec solum, quae facta sint aut fiant, sed etiam, quae futura sint aut futura fuerint, imaginamur. Sueton. Caes. 81: Calpurnia uxor imaginata est collabi fastigium domus. Plin. Hist. Nat. IX, 35) *inclarescere*, *inenarrabilis* (Senec. Nat. Quaest. III, 22: natura fluminum inenarrabilis. Quint. XI, 3, 177: Est enim latens quaedam in hoc ratio et inenarrabilis. Plin. maj. cfr. 2, 3: inenarrabili celeritate) *indiscretus*, *inexplicabilis*, *indifferenter*, *infructuosus* (Dial. d. Or. 9) *impatienter* et *impatientia*, *instantior* (cura) et *instantius*, *interstinctus*, *licentiosus* (Quint. I, 6, 23: Nam ebur dicere, non minus est licentiosum) *praesumere* (quod verbum saepissime ap. arg. aet. scriptorum exstat. cfr. Quintil. 1, 1, 20. 1, 10, 27, 2, 4, 7. 8, 6, 63. 10, 5, 4. 11, 1, 27. 12, 9, 9: „quod facientibus etiam mala audiendi praesumenda patientia est“), *praeverti* (Spald. ad Quint. 12, 2, 4 [Ad illud sequens praevertar]: „Praeverti est „potius se convertere“, quod Pliniorum uterque usurpat et videtur hujus maxime aetatis fuisse, ut docent Lexica, quanquam Horatius jam posuit Serm. 1, 3, 38“), *praevalere* (cfr. Dial. d. Or. c. 5. Plin. maj. saepissime), *professor* (Quint. 10, 5, 8: Latro, qui primus clari nominis professor erat. Tacitus „sapientiae professores“ dixit) *peculiariter* (Quint. 1, 2, 16: praeceptor enim, in quo studium ingeniumque perspexerit, in suam quoque gloriam peculiariter fovebit) *retro agere* = *avertere* (Quintil. 1, 1, 25: literas i. e. literarum ordinem retro agant rursus et varia permutatione perturbent. Cfr. 9, 4, 81), *rescriptum*, *salarium*, *substantia* (cfr. Spald. ad Quint. 1, Prooem. §. 21, Dial. d. Orat. 8, sine substantia facultatum). *In totum* (Spald. ad Quint. 3, 8, 58 [atque in totum illi]: „Tur. Alm. omittunt in totum. Non equidem accedam huic omissioni, cum et ipse noster et alii ejus aevi in totum non raro usurpent. Cfr. 3, 6, 32. 4, 1, 72. 8, 6, 8. 9, 2, 88, it. L. Senecae de Ira I, 16 et Plin. in H. N. frequentissime“), *Post tempus* (Id. ad Quint. 9, 2, 17: „i. e. post aliquod tempus, paullo longiore interjecto tempore. Haec dicendi forma hujus videtur fuisse aetatis et legitur ap. ipsum, si modo, nostrum Decl. 289. p. 145, ubi vid. Burm. ut et ad 388 p. 790, it. ad I. O. 12, 3. 5), *ut maxime* (Quint. 9, 3, 94, Plin. H. N. 33, 1, 5), *ut puta* (Spald. ad Quint. 9, 3, 110 [ut puta: Novum crimen, C. Caesar]: „Rarior usus exempli adducen-

di, quem tamen aliquot hujus et sequioris aevi scriptorum locis comprobatum ap. lexicographus videbis").

Denique ex iis locutionibus et vocabulis, quibus ab arg. aet. scriptoribus alia vis ac potestas tributa est, nonnulla litterarum ordine ponamus: accedere = assentiri, c. dat. conjunctum (cfr. Plin. Ep. I. 20: „si mihi accederes" IV, 10. VIII, 14. X, 49. Quint. 3, 4, 16. 6, 4, 8. 9, 4 Prooem. „Accedam in plerisque Ciceroni"), aevum = aetas, saeculum (quam significationis mutationem a poetis originem duxisse concedo), ambitio = vanae gloriae affectatio et ambitiosus = superbus (de quibus vocabulis erudite disputat Spald. ad Quint. I, 2, 22, et XI, 1, 21) aestimare (quod verbum illa aetate non solum „judicandi," sed etiam „magni faciendi" vim accepit), adhuc = etiam (comparativis adjunctum), breviter = ut brevi praecidam, ut paucis absolvam (cfr. Plin. H. N. 33, 1: quam innocens, quam beata, immo vero et delicata esset vita, si nihil aliunde quam supra terras concupisceret, breviterque nisi quod secum est). Cupiditas = avaritia (cfr. Spald. ad Quint. V, 12, 6), convenit idem fere quod constat (cfr. Plin. H. N. II, 13: convenit stellas in occasu vespertino proximas esse terrae. 33, 41: quod quum venenum esse conveniat, et sic saepissime apud eum. Cfr. et. Tacit. Hist. 1, 8. Quintil. 3, 5, 5) custodire = observare (cfr. Quint. I, 7, 1: Nunc quoniam diximus, quae sit loquendi regula, dicendum, quae scribentibus custodienda. X, 1, 115. Plin. min. 9, 26, 12) circumire = umschreiben (cfr. Boett. L. Tac. s. v.), circa = in Betreff (qua potestate omnes, ni fallor, illius aetatis scriptores hanc praepositionem usurpant. Cfr. etiam Spald. ad Quintil. II, 4, 41), citra = sine (cfr. Plin. H. N. II, 23: Fiunt et hibernis mensibus, et in austrino polo, sed ibi citra ullum jubar, Quint. I, 4, 4: Tum nec citra musicen grammatice potest esse perfecta), defectus = destitutus (velut „viribus defectus"; quin Plin. etiam absolute usurpat, cfr. H. N. II, 6: Sidera, quae affixa diximus mundo, non illa, ut existimat vulgus, singulis attributa nobis et clara divitibus, minora pauperibus, obscura defectis —) digerere = concoquere (cfr. Spald. ad Quintil. X, 1, 19: [Repetamus autem et retractemus et ut cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur, ita lectio non cruda etc.]: „Potestate concoquendi non quidem labentis, sed recentioris est latinitatis, quod primum videtur in dentibus cibum digerentibus i. e. minuentibus dictum, velut Plin. H. N. 11, 37. Seneca tamen et Celsus nostro jam significatu usurpant. Cfr. Quint. 11, 3, 19."), desiderium = postulatum, max. plur. numero (cfr. Tac. Hist. 1, 19 desideria militum, nec aliter Plinii, Quint. Suetun. h. v. usurpant), sine dubio, sequente sed, autem, tamen, ita ut idem significet ac „quidem" (cfr. Spald. ad Quintil. I, 6, 12. Plin. H. N. XV, 2: „Sine dubio et in iis solum maxime caelumque refert. Verum tamen et tondentur, quum et vites atque etiam inter-

radi gaudent), dictare = imperare (cfr. Quint. III, 4, 12: Et ita videtur ratio dictare), demum = tantum (cfr. Spald. ad Quintil. I, Prooem. 3 [ne vulgarem viam ingressus alienis demum vestigiis insisterem]: „Plane pro tantum, temporis significatione oblitterata vel evanescente. Sic saepe apud nostrum et alios ejusdem aetatis"), generare = invenire (Quintit. X, 2: An illi rudes sola mentis natura ducti sunt in hoc, ut tam multa generarent. Cfr. I, I, 36), gratulari = gratias agere (Quint. VI, Pr. 8.), interim = interdum (cfr. Spald. ad Quint. I, I, 9: „Frequens est in primis Quintiliano, sed et aliis ejus aevi scriptoribus, ut Senecae et Pliniis atque Tacito ille, qui hic primum observatur, hujus vocabuli usus, ut sit pro interdum. Cfr. I, 2, 4: Corrumpi mores in scholis putant: nam et corrumpuntur interim"), mox = deinde (qua significatione ab omnibus illius aetatis scriptoribus frequentatur, in primis a Tacito. Cfr. Plin. H. N. 33, 6: ut plane affirmare possimus, nummos ante apud nos, mox coepisse annulos), merere et mereri = consequi, accipere, impetrare (cfr. Quint. IV, 2, 39: verum haec omittamus, ne minus gratiae praecipiendo recta, quam offensae reprehendendo prava mereamur. VI, 3, 110. X, 1, 72: ita consensu tamen omnium meruit credi secundus," quo loco etiam ad structuram verbi attendas. V, I, 1. VI, 1, 45. Dial. de Orat. 9: Pulchrum id quidem, indulgentiam principis ingenio mereri. Plin. Ep. I, 8, 14), mortalitas = hominum genus, (Plin. Hist. Nat. 33, 1. „vitam" vocat), notare = breviter tangere (cfr. Quint. I, 5, 17. II, 2, 15. IX, 4, 15), numerosus = multus (cfr. Quint. II, 12, 3: et rudia politis majora et sparsa compositis numerosiora creduntur i. e. plura. Cfr. V, 5, 10. VIII, Prooem. 2. X, 5, 9. Plin. H. N. VIII, 1, 51: neque alio ex animali numerosior materia ganeae i. e. epularum opipararum. XXXIII, 19: Nec aliud laxius dilatatur nec numerosius dividitur etc.), opinio = fama et inprimis bona (cfr. Spald. ad Quint. II, 12, 5, [Affert et ista res opinionem] qui ibi conferri jubet I, 2, 4. XII, 1, 12: ex comtemptu opinionis. XII, 9, 4: cupidis opinionis. Dial. de Orat. 10. opinio et fama, cui soli serviant), obnoxius = imbecillus (cfr. Plin. H. N. II, 5: Adeoque obnoxiae sumus sortis, ut sors ipsa pro deo sit. Cfr. XIV, 2.), palam = coram (cfr. Spald. ad Quint. II, 5, 10 [Ne id quidem inutile, etiam corruptas aliquando et vitiosas orationes — legi palam pueris]. Zumpt. Gramm. §. 321), parum = paullum (Quint. X, 123: Scripsit non parum multa. Plin. Paneg. 20, 3. Senec. de Benef. 2, 23), poena = cruciatus, dolor (cfr. Plin. H. N. II, 7: sibi mortem consciscere, optimum in tantis vitae poenis), potestas = magistratus (Spald. ad Quint. IV, 1, 72 [quum major potestas ab ipsa re cogit incipere]: „Major potestas. Si princeps v. c. quaesitor fuerit. Potestas enim dicitur pro magistratu, hoc maxime aevo. Cfr. IV, 5, 10. V, 2, 5. VII, 1, 32. Item apud alios multos, Plinium in primis in H. N. Sueton. Claud. c. 23"), pignora =

liberi (cfr. Boett. Lex. Tacit.), publicare (librum) = in publicum edere (cfr. Plin. Ep. I, 1. 1, 5), qualitas (cfr. Spald. ad Quint. 1, 5, 27), quatenus = quia (cfr. Dial. de Or. 5: Ego enim, quatenus arbitrum litis hujus inveni, non patiar, Maternum societate plurium defendi. Ib. 19. Quintil. IV, 2, 13: quatenus nullo magis studio quam spe gaudent), redigere in ordinem = cogere in ordinem (cfr. Spald. ad Quint. I, 4, 3), renunciare eadem potestate qua Francogallicum renoncer (cfr. Quintil. X, 7, 1: quam qui non erit consecutus, mea quidem sententia, civilibus officiis renunciabit), sensus = sententia (cfr. Senec. Benef. I, 2: Sequens sensus mirificus est. Quint. VIII, 2, 20. VIII, 5: Sententiam veteres, quod animo sensissent, vocaverunt. — Sed consuetudo jam tenuit (i. e. obtinuit) ut mente concepta sensus vocaremus; lumina autem praecipueque in clausulis posita, sententias, quae minus crebra apud antiquos, nostris temporibus modo carent), studere abs. = litteras diligenter tractare (cfr. Quintil. II, 2, 7. VI, Prooem. 4. Plin. Epist. 3, 5, 5), subjicere = sub alio quodam nomine comprehendere (cfr. Quint. I, 5, 1: quia dicere, quod est praecipuum, plerique ornatui subjiciunt), spes = liberi (cfr. Spald. ad Quint. VI, Prooem. 12: Tuosne ego, o meae spes inanes, labentes oculos, tuum fugientem spiritum vidi?), transiro = praeterire (Quintil. IX, 4, 29: quod [verbum] si in media parte sententiae latet, transire intentionem et obscurari circumjacentibus solet), totus = omnis (Quint. III, 9, 7: „Neque enim nisi totis causae partibus diligenter inspectis scire possumus." Haec tamen vocabulorum „omnis" et „totus" confusio jam apud Virgilium deprehenditur, ut Eclog. 1, 11: undique totis usque adeo turbatur agris.

Ex iis vocibus et loquendi formulis, quas modo enumeravimus, quantum in verborum eligendorum ratione posteriores a veteribus differant, aliqua quidem ex parte perspectum iri speramus. Jam in grammatica et verborum componendorum ratione quam multa illi novarint, item paucis significemus necesse est. Eam igitur rem perdifficilem sane et perobscuram illustrare aggressuri non possumus lucupletiore uti auctore, quam prudentissimo talium rerum existimatore, Quintiliano. Qui quidem ipse, quae in aequalium dicendi genere deprehendisse sibi visus est, vitia his locis enumeravit:

I. O. II, 5, 10: Ne id quidem inutile, etiam corruptas aliquando et vitiosas orationes, quas tamen plerique judiciorum pravitate mirentur, legi palam pueris ostendique in his, quam multa impropria, obscura, tumida, humilia, sordida, lasciva, effeminata sint: quae non laudantur modo a plerisque sed, quod pejus est, propter hoc ipsum, quod sunt prava, laudantur. Nam sermo rectus et secundum naturam enuntiatus nihil habere ex ingenio videtur: illa vero, quae, utcunque deflexa sunt, tanquam exquisitiora miramur. Ibid. § 24: Neque enim nos tarditatis natura damnavit: sed dicendi mutavimus

genus et ultra nobis, quam oportebat, indulsimus. Multa ergo licebit eligere, sed curandum erit, ne iis, quibus permixta sunt, inquinentur. IV, 1, 58: ne quod insolens verbum, ne audacius translatum, ne aut ab obsoleta vetustate aut poëtica licentia sumtum deprehendatur (quo loco quae vitia discipulis ut vitarent suasit, ea in aequalium sermone videtur deprehendisse). VIII, Prooem. § 24: Nam et quod recte dici potest, circumimus amore verborum et quod satis dictum est, repetimus et quod uno verbo patet, pluribus oneramus et pleraque significare melius putamus, quam dicere. Quid? quod nihil jam proprium placet, dum parum creditur disertum, quod et alius dixisset? A corruptissimo quoque poëtarum figuras seu translationes mutuamur, *tum demum ingeniosi scilicet, si ad intelligendos nos opus sit ingenio.* Ib. 31: qui, etiam quum optima sunt reperta, quaerunt aliquid, quod sit magis antiquum, remotum, inopinatum. VIII, 2, 17 In hoc malum a quibusdam etiam laboratur. Neque id novum vitium, quum jam apud T. Livium inveniam fuisse praeceptorem aliquem, qui discipulos *obscurare*, quae dicerent, juberet, graece verbo utens σκότισον. Unde illa scilicet egregria laudatio „Tanto melior: ne ego quidem intellexi". Alii brevitatem aemulati necessaria quoque orationi subtrahunt et velut satis sit scire ipsos quae dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil (nihili Spald. conj.) putant. Ib. § 21. Ingeniosa haec et fortia et ex ancipiti diserta creduntur pervasitque jam multos ista persuasio, ut id jam demum eleganter atque exquisite dictum putent, quod interpretandum sit. Sed auditoribus etiam nonnullis grata sunt haec, quae quum intellexerunt, acumine suo delectantur et gaudent, non quasi audiverint, sed quasi invenerint. VIII, 3, 57: *Corrupta* oratio in verbis maxime impropriis, redundantibus, comprehensione obscura, compositione fracta, vocum similium aut ambiguarum puerili captatione consistit. IX, 3, 1: Itaque si antiquum sermonem nostro comparemus, paene jam quidquid loquimur, figura est: ut, hac re invidere, non, ut omnes veteres et Cicero praecipue, hanc rem; et incumbere illi, non in illum; et plenum vino, non vini; et huic, non hunc adulari jam dicitur, et mille alia: utinamque non pejora vincant.

Hos, quos modo protulimus, locos Quintilianeos qui diligenter perpendere volet, is non poterit non intelligere, tria potissimum esse, quae clarissimus ille linguae latinae auctor in aequalium sermone vituperet. Nam primum ingenii ostentandi causa eos summopere studuisse dicit, ut orationem quantum possent obscurarent, et, ut Quintiliani ipsius verbis utar, ei necessaria subtraherent. Id quibus modis illi effecerint, quaerentibus nobis primum occurrit plurima ellipsium vis et copia. Quae res quam late pateat, quum ex Prolegomenis a Boettichero Lexico Taciteo praemissis intelligere liceat, statim ad alterum obscure dicendi genus argenteae aetatis scriptorum proprium transire libet. Nam quum omnes

aureae aetatis scriptores, tum vero maxime Cicero singulas sententias aptissimis quibusque conjunctionibus, quae dicuntur, inter se nectere summo opere studuerunt, quarum admirandum sane est quantus numerus apud eos inveniatur; contra plerique argenteae aetatis scriptores ejus rei negligentes quomodo una sententia ex altera apta sit, lectoris animo conjectandum relinquunt. Qua de re quam Zumptius conscripsit commentationem (cujus Bernhardy loco a nobis supra allato mentionem facit), eam ego inspicere nondum potui. Quid? quod ad idem obscure dicendi genus quodammodo etiam illud referendum videtur, quo nemo, qui illa aetate conscriptum librum in manum sumpserit, non offenditur, compositio fracta et obscura comprehensio? Nam quum priores per ambitum verborum sententias enuntiare consuessent, (quo loquendi genere qui utitur, is facere non poterit, quin magis exposite et perspicue sententias proferat), apud argenteae aetatis scriptores, si paucos eosque diligentiores exceperis periodorum, quae dicuntur, tam exiguus numerus invenitur, ut totis paginis prorsus nulla exstet. Quae res quantum ad latini sermonis rationem immutandam valuerit, quam aliis plurimis rebus, tum vero maxime frequentiore et audaciore participiorum usu intelligitur. Nam primum ablativi consequentiae, qui dicuntur, non solum ad causam indicandam adhibentur (qua de re quum infra in loco Taciteo explicando accuratius disserendum sit, hic eam significasse satis habeo), sed etiam loco sententiarum per sicut similemve particulam enuntiatarum collocantur. Namque his locis e Plinii Hist. Nat. petitis II, 9: „Post eos utriusque sideris cursum in sexcentos annos praecinuit Hipparchus, menses gentium diesque et horas, ac situs locorum et visus populorum complexus, aevo teste haud alio modo, quam consiliorum naturae particeps“, XXXIII, 23: „Et electro auctoritas Homero teste, qui Menelai regiam auro, electro, argento, ebore fulgere tradit“, nam quis est qui non videat aevo teste, Homero teste, vice enuntiatorum, „ut aevum, ut Homerus testis est“ fungi? Deinde participia futuri a posterioribus ita ponuntur, ut Graecorum partic. aoristi cum part. ἂν conjuncto respondeant, id quod ex exemplo a Naegelsb. L. St. p. 212. allato intelligitur (Senec. Marc. 26: regesne tibi nominem felicissimos futuros, si maturius illos mors instantibus subtraxisset malis. Cfr. I, Ep. 3: quidam rursus etiam carissimorum conscientiam reformidant, et si possent, ne sibi quidem credituri interius premunt omne secretum. Quid? quod eodem brevi sententias comprehendendi studio adducti etiam ita receptum dicendi genus mutaverunt, ut sententiam, qualis haec: „Circulorum caeli quae ratio sit, quam terrae mentionem faciemus, aptius disseretur.“ Plin. 2, 6 ita enuntiaret: „Circulorum quoque ratio in terrae mentione aptius dicetur.“ Denique inde etiam illud exortum videtur, quod sententiis secundariis, quae dicuntur, per conjunctionem ut enuntiatis substantivum e praepositione

in rectum substituere solebant, velut sic: in accusationem orationis utuntur orandi viribus (Quint. II, 16), ut qui Romulum Martis filium educatumque a lupa dicat, in argumentum coelestis ortus utatur his (Quintil. III, 7, 5), in jactationem eruditionis (Quintil. I, 5, 11), Hortensiae oratio legitur non tantum in sexus honorem (I, 1, 6), elephantorum feritatem usque in servile obsequium demeretur cibus (Senec. De Benef. I, 3). Quae quidem exempla innumerabilibus aliis ex omnibus illius aetatis scriptoribus petitis cumulari possunt.

Duo vero reliqua vitia quae Quintilianus corruptis, quos vocat, latinae linguae auctoribus exprobrat, nimia insolitorum consectatio et poëtarum imitatio sunt. Ac primum quod nova et insolita adamaverint, ne quis magno opere miretur, id senium linguarum proprium esse repetet, ut solita ac trita tanquam parum elegantia et diserta contemnantur. Idque etiam argenteae aetatis scriptoribus accidisse, quum infinitus vocum et locutionum vel tum demum fictarum vel nova vi praeditarum numerus declarat, tum ex plurimis aliis rebus, quas illi aut novarunt, aut magis frequentarunt, intelligitur. Quod ut quibusdam exemplis demonstrem, primum mihi in mentem venit illarum particularum, quae quum primum enuntiati locum apud priores tenerent, a posterioribus secundo vel tertio loco collocari solebant. In his numeranda sunt itaque (cfr. Quint. I. I, 14: Non longe itaque Latina subsequi debent, et cito pariter ire), namque (cfr. Plin. H. XIII, 6: Hic namque publicatis diebus festitur), quin etiam (cfr. Tacit. Hist. II, 17), quin immo (Dial. d. Or. 6), immo (Tacit. Ann. II, 30), siquidem (Plin. H. N. 2, 68), alia plura.

Eodem porro referenda sunt innumerabilis anastrophes exempla, qua de re cfr. Boettich. Lex. Tac., p. 119 et 120. Ex nulla autem alia re illud, de quo agimus, insolitorum studium magis apparet, quam ex immutata conjunctionum vi ac potestate. Quod quom conjunct. quanquam et quamvis, etiamsi, quando, quatenus, aliis demonstrare liceat, tamen id vario conj. an usu comprobare satis habemus. Ac primum eam saepissime cum conj. num et ne permutari quanquam nemo ignorat (cfr. Zumpt. L. G. §. 353), pauca tamen exempla ponere libet: Quint. I, 5, 36: Illud eruditius quaeritur, an in singulis quoque verbis possit fieri soloecismus. I, 12, init.: Quaeri solet, an, etiamsi discenda sint haec, eodem tempore tamen tradi omnia et percipi possint. Plin. Ep. I, 23: Consulis, an existimem te in tribunatu causas agere debere? Senec. I, Ep. 3: Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit. Deinde vero apud posteriores saepenumero post nescio et dubito in negationem vergit. Cfr. Quint. II, 17, 3: Ac me dubitasse confiteor, an hanc partem quaestionis tractandam putarem. I, 5, 46. I, 7, 23: Sibe et quase scriptum in multorum libris est: sed an hoc voluerint auctores, nescio. Quid? quod pro sive — sive a Tacito interdum sive — an dicitur? (cfr. Boett. Lex. Tacit., pag. 435, qui tamen ad discrimen, quod inter illas loquendi formulas intercedit, non attendit. Sive — sive

enim Tacitus ponit, quam, quae ipse sentiat, reticens lectoris judicio permittit, utram rei alicujus causam veri similiorem putet; altera autem formula utitur, cum ipse id, quod posteriore orationis membro continetur, verius judicat, ut idem sit, quod Quintilianus I. O. I, Prooem. 4 sic profert: Nam ceteri fere, qui artem orandi literis tradiderunt, ita sunt exorsi, quasi perfectis omni alio genere doctrinae summam inde eloquentiae manum imponerent: sive contemnentes, tanquam parva, quae prius discimus, studia: sive non ad suum pertinere officium opinati, quando divisae professionum vices essent: seu, quod proximum vero, nullam ingenii sperantes gratiam circa res, etiamsi necessarias, procul tamen ab ostentatione positas: ut operum fastigia spectantur, latent fundamenta.

Verum ne singula persequendo hujus commentationis fines excedamus, jam ad tertium illud crimen nimiae poëtarum imitationis transire libet. Et vero quam huic rei posteriores indulserint, supra in enumerandis vocabulis et structuris e poëtarum libris desumptis demonstravimus. Verum tamen illud multo latius patet. Namque ad verborum componendorum rationem saepenumero illi poëtas aemulati abstractis et inanimatarum rerum nominibus vim ac potestatem animantium tribuunt, velut: quem Epicuri epistola insequitur (Senec. Ep. IX.), elephantorum feritatem usque in servile obsequium demeretur cibus (Id. d. Benef. I, 3.), liber, qui eam (historiam) continebat (Quintil. I, 8, 20.), sed hoc quoque interim mutat condicio causarum (Id. IV, 2, 25.); vasa ex argento mira inconstantia humani ingenii variat (Plin. H. N. 33, 49), cibus famem sedet, potio sitim exstinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit adversus infesta corporis; hanc utrum cespes erexerit, an varius lapis gentis alienae, nihil interest (Sen. Ep. 8). Quin etiam infinitivo idem scriptor et Valerius Maximus easdem partes dederunt. Cfr. Sen. Ep. 14: multis timendi attulit causas timeri posse; Val. Max. IV, 3, 6: locupletem illum faciebat non multa possidere, sed modica desiderare; ib. 4: multum occupasse habere invidiam potuit; VI, 6, 2: Claros illos fecerat tantum hostium ducem vincere potuisse; sed multo clariores fecit noluisse. Qua de re scite exposuit Haase ad Reisig. L. S., pag. 783. Scio equidem etiam Ciceronem interdum inanimatis rebus illam, de qua agimus, vim tribuere, sed cum certa quaedam nomina, velut naturam, rem, rumorem alia, tum maxime substantiva in — io et — us exeuntia sic eum usurpare tenendum est. (Cfr. Cic. de Or. I. 29, § 90: Celeritatem incitat exercitatio eloquendi. In Pis. 22, § 53: Romam vero ipsam foedavit adventus tuus). Quam ob rem valde dolendum est, quod adhuc nemo omnes ejus generis locos Ciceronianos, quos non ita multos esse certo scio, collectos in uno quasi quodam conspectu collocare animum induxerit. Quamquam res est longe gravissima, quippe qua priores sermonis latini auctores et posteriores maxime differant, quaeque efficiat, ut argenteae aetatis scriptores e more recentiorum locuti esse videantur. Qua cum re quasi

quodam cognationis vinculo conjunctum est illud, quod posteriores secundum poëtarum consuetudinem adjectiva, quae a prioribus tantum personis adduntur, etiam rerum nominibus tribuunt, cujus generis sunt illa supra a nobis commemorata: res fessae, verba generosa, superba limina, triste tempus, alia.

Quid? quod poëtarum auctoritate nisi leges quoque grammaticas, quibus priores sermonem latinum circumscripserunt, multis locis neglexerunt et immutaverunt. Quam rem per singula casuum aut modorum adhibendorum genera persequi quum mei instituti non sit, verbi gratia infinitivi multo audaciorem usum brevi indicare satis habeo. Ac primum multo major numerus est eorum locorum, quibus infinitivus substantivi vice fungitur, (velut Sen. I. Ep. 17: Multis parasse divitias non finis miseriarum fuit, sed mutatio; I. Ep. 2: Quis sit divitiarum modus, quaeris: primus habere, quod necesse est, proxumus, quod sat est; ib. Primum argumentum compositae mentis existimo posse consistere et secum morari; Ep. 8: Hujus eminentis vitae exitus cadere est; Benef. 5, 10: multum interest inter dare et accipere). Deinde vero multo saepius etiam ita ponitur, ut a verbis regatur. Quo ex numero ut pauca afferam, haec apud elegantissimus illius aetatis scriptores exstant: Tentavi enim imitari Demosthenem, Plin. Ep. I, 2. Amarique ab eo laboravi, Id. I, 10. Quantum mihi tamen cernere datur, ib. (cfr. Dial. d. Orat. 7: aut apud principem ipsos illos libertos et procuratores principum tueri et defendere datur. Similiter Quintilianus). Et sint, qui dignentur audire, Dialog. d. Orat. 9. Apud hos dedisse operam dialecticae proficiet, ib. 21. Quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere sustinuit, ib. 26. (Ita etiam Quint. et Plin. min. loquuntur). Non excludo autem — eburneas etiam litterarum formas in lusum offerre, Quint. I, 1, 26. At fere minores ex conscientia suae infirmitatis haerere singulis — non indignantur, ib. 2, 10. Quid? quod etiam adjectivis Graecorum more infinitivum adjungunt. (Idem guttis dividi facilis, Plin. H. N. XXXIII, 41. Ipse satis manifestus est jam dudum in contrarium accingi, Dial. de Or. 16). Quam rem propterea non est quod miremur, quod multo ante poëtae Augusteae aetatis idem audendo loquendi genus prorsus mutavisse putandi sunt.

Pervenimus jam ad ultimam hujus dissertationis partem, qua certas quasdam ex Senecae, Pliniorum, Quintiliani libris selectas partes ita interpretari constitueram, ut quaecunque cum veterum dicendi more discrepare viderentur, accuratissime notarem (quod nisi fiat, nec quomodo scriptores argenteae aetatis a prioribus neque quomodo inter se ipsi differant, satis cognosci potest). Sed illud in aliud tempus ut reservemus pluribus causis perducti hoc loco Taciti Annal. III, 25 et 26 init. ea, qua diximus, ratione explicare satis habemus. Quae ibi exstant verba praemittere libet:

„Relatum deinde de moderanda Papia Poppaea, quam senior Augustus post Julias rogationes incitandis caelibum poenis et augendo aerario sanxerat. Nec ideo conjugia et educationes liberum frequentabantur, praevalida orbitate: ceterum multitudo periclitantium gliscebat, quum omnis domus delatorum interpretationibus subverteretur; utque antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. Ea res admonet, ut de principiis juris, et quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum sit, altius disseram. Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine poena aut coercitionibus agebant.“

In principio capitis vicesimi quinti primum id videtur notandum, quod „moderandi“ vocabulum, quum „modum imponendi“ significationem habet, non, ut hic, cum accusativo, sed cum dativo a prioribus conjungi solet; deinde quod dativus gerundii „incitandis caelibum poenis“ e more posteriorum scriptorum positus est; qui usus quum nemini ignotus sit, non est quod accuratius de eo disputem, sed in iisdem verbis praetereundum non est, quod „incitandi“ vocabulum cum „poena“ conjunxit (a celeritate cursus calcari augenda ductum videtur propter pungens illud, quod in poena inest), cujus locutionis neque ante ejus aetatem neque postea ullum exemplum invenitur. Jam in eis, quae sequuntur „conjugia frequentare“ secundum morem priorum, qui ipsi quoque frequentandi verbo praegnante potestate utuntur, dixisse videri potest. Contra in verbis „praevalida orbitate“ proprietas quaedam Taciti ejusque aequalium deprehenditur, quippe qui breviter loquendi studio permoti ablativos consequentiae, qui dicuntur, pro totis sententiis per particulas quum, quia, similesve enuntiandis usurpare soleant, — velut hoc loco „praevalida orbitate“ positum est pro „quum orbitas praevaleret“ vel, ut secundum veterum scriptorum consuetudinem loquar „quum plerique coelibes esse mallent.“ Tenendum est, enim nec vocabulum „praevalidus“ (de verbo praevalendi cfr. ea, quae pag. 7 protulimus) neque „orbitas“ ea quidem, qua hic praedita est, significatione apud Ciceronem ejusque aequales, reperiri. Deinde „gliscendi“ verbum a nullo magis frequentatum esse quam Tacito docuit Boettich. Lex. Tacit. s. v., qui idem „subvertendi“ vocabulo e prioribus Sallustium eumque secutos argenteae aetatis scriptores saepissime usos esse demonstravit. Vocabulum „delator“ vero apud posteriores demum inveniri supra indicavimus. Postremo verba „Ea res admonet, ut — disseram“ Tacitus quum scriberet, ejus animo Sallustianus locus obversatus esse videtur, qui exstat Catil. c. 5. extr.: „Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere ac paucis instituta majorum — disserere.“ Recte enim Boetticherus Lex. Tacit. Proleg. pag. XXXVII. „Quae Seneca (Epist. 114) in universum de Sallustii imitatoribus tradit, etiam in Tacitum cadunt ita, ut multa ex hujus scriptoris oratione stilum ejus traxisse dicamus nisi quod

